

157.

Schiffen.

his.



V

0011

(alt. Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.



DISPUTATIONVM LOGICARVM

SEPTIMA,

De

ARGVMENTA-
TIONE SEV SYLLOGI-
SMO, TAM ABSOLVTO
QVAM MODALI,

Quam

DEO OPT. MAX. AV-
XILIANTE,

SVB PRAESIDIO

Reuerendi, Clarissimi, & Excellentissimi Viri,

Dn. CONRADI HOR-
NEII S.S. THEOLOGIAE LICENT.

eiusdemq; Professoris ordin. praeceptoris &
fautoris sui aeternum honorandi,

Publico examini subijciet

GEORGIVS LEVERICVS
BRVNSVICENSIS.


X. Kal. Novembr.

In nouo IvlEO.

HELMAESTADI,

E. typographéo LVCIORVM,

Anno clō Is cXXX.


ADMODVM REVERENDO,
AMPLISSIMIS ATQVE EXCEL-
LENTISSIMIS VIRIS,
DN. POLYCARPO LYSERO, S. S.
THEOL. DOCT. ET IN ILL. ACAD. LI-
PSIENSI PROF. PRIMARIO, PASTO-
RI ITEM ET SUPERINTEN-

DENTI,

ET

DN. IOHANNI CAMMANO, ICTO
EXIMIO, REIP. BRUNSVIC. SYN-
DICO PRAECIPVO ET OPT.

MERITO,

PATRONIS SVIS AETERNVM
HONORANDIS,

VT ET

PRÆSTANTISSIMIS AC PRV-
DENTISSIMIS VIRIS,

DN. HENRICO Riefen / REIP.
BRUNSVIC. CAMERARIO,

DN. CHRISTOPHORO ab Horn-
burg / EIVSD. REIP. DECEMVIRO,

DOMINIS ET FAVORIBVS
PL. COLENDIS

DISPUTATIONEM HANC
IN OBSERVANTIAE ET GRATITV-
DINIS SIGNVM D. D.

G. L.



DISPUTATIONVM LOGICARVM
SEPTIMA,
De
ARGUMENTATIONE SEU
SYLLOGISMO TAM ABSOLV-
TO QVAM MODALI.

THESIS I.

Dostquam de secundo mentis opere h. e. enunciatione seu propositione explicata sunt quæ ad formam eius pertinent, ad tertium h. e. argumentationem seu syllogismum accedimus. Potest autem etiam hic considerari dupliciter, vt ab initio diximus & docet Arist. 1. prior. c. 2. primò simpliciter & in se, deinde vt est demonstratiuus vel topicus. Quum simpliciter & in se spectatur, dicitur considerari ratione formæ, quum vt est demonstratio vel syllogismus topicus, ratione materiæ. Vnde Philosophus *ibid.* syllogismum demonstratiuum partem syllogismi vocat & syllogismum ipsum latius patere ait. Et c. 1. dicit, ad structuram syllogismi nihil interesse, an is ex propositionibus dialecticis an demonstratiuis conficiatur.

II. Est autem, vt notum, Syllogismus oratio, in quâ positis quibusdã diuersum quid à positis sequitur ex necessitate, eò quod illa posita sint. Dicitur 1. *oratio*, subintellige, mentalis cū primis, 2. *positis quibusdam*, vt distinguatur consequentia syllogistica à consequentia conuersionū, vbi vna tantum enunciatio antecedit & infertur altera. 3. additur *diuersum inferri à positis*, ad differentiã consequentiæ, quæ est inter æquipollen-

res, & exponibiles harumq; exponentes: et si enim illarū quoq; vna ad alterā sequitur, nō tamen propriē vna est aliud quid ab alterā. 4. dicitur, *ex necessitate*, non quasi conclusio, quæ inferatur, semper sit necessaria in se, sed quod necessariō vera sit, si veræ sint præmissæ, vel potius quod ipsa ex ijs necessariō & infallibiliter sequatur: nam etiam contingens, imō falsa propositio, legitimē & irrefragabiliter ex certis præmissis deduci potest.

III. Cæterum Aristot. duobus libris de syllogismo in se considerato agit, eosq; vt & duos alteros, quibus de syllogismo demonstratiuo tractat, ἀναλυτικῶν h. e. resolutoriorum nomine adpellat, vt tum ex eorum inscriptione, tum ex lib. 2. de interp. c. 1. 1. 1. elench. c. 2. 6. eth. c. 3. & 7. Metaph. c. 12. constat. Et priores quidem illi duo, priorum, posteriores posteriorum analyticorum dicuntur, etsi hanc distinctionem non ab Aristotele ipso, sed eius interpretebus originem habere Conimbr. *proem. in libb. prior.* ex Galeno docent. Vbi statim quæritur, cur libri illi ita dicantur? Et resp. ex Conimbricensibus breuiter ita; cū resoluerē nihil aliud sit, quam rem ad sua principia & partes ex quibus constat reuocare, rectē vtramq; illam Logicæ partem ita adpellatam esse, quod præcipuē, imō solæ ostendant, ex quibus principiis & fundamentis omnis doctrina scientia & eruditio humana constructur & excitetur: cum enim resolutio eiusmodi in omni doctrina duplex sit, consequentiæ & consequentis, tractatio de syllogismo in communi priorem continet, & doctrina apodictica posteriorem.

IV. Resoluitur autem consequentia in sua principia, cum ipsa forma argumentandi ad terminos rectē dispositos & propositiones debita quantitate ac qualitate affectas reducitur; his enim argumentatio vt principiis suis constat: consequens verò, cum ostenditur, ex quibus principiis & causis res vnaquæq; dependeat. Vtraq; porrò eo fine instituitur, non vt in inuentione & intuitu partium & principiorū mens conquiescat, sed vt tum de ipsa ratione argumentandi, deducendi & probandi, tum ipsius rei principiis & fundamentis,
ex qui-

ex quibus aliquid deducitur, adeoque de totâ re, quæ cognoscenda est, accuratius & exquisitius iudicium ferre possit: cum enim unicuique in promptu sit argumentationem aut deductionem aliquam conficere, accuratè tamen eam instituerè, aut subtiliter & solidè de vnaquaq; earum iudicare non cuiusvis est, sed illius tantum, qui omnia etiam minutissima, ex quibus perfecta argumentatio, ratiocinatio, aut demonstratio concinnatur, quàm rectissimè perspecta habuerit. Hoc autem per resolutionem exquisitâ demùm consequimur, cum in eâ omnes partes argumentationis & demonstrationis distinctè sub aspectum mentis veniant, quæ in ipsâ compositione coniunctæ & confusæ latent, planè vt is demum quàm rectissimè de tota illa admirabili structurâ corporis humani iudicare potest, qui istud quàm artificiosissimè in partes & membra sua ex præscripto medicorum diuidere & resolvere nouerit.

V. Verum enim verò quia de resolutione consequentiæ seu formæ argumentationum primo loco agendum est, id iam 2. quæritur, quanam sit perfecta & formalis argumentatio? Vbi notetur consequentiam in vniuersum omnem nihil aliud esse quàm orationem in qua aliquid ex aliquo colligitur, idq; fieri dupliciter, vel vt nihil sit in antecedente, quin idem etiam reperiatur in consequente, cuiusmodi consequentia est quando propositio colligitur ex suâ æquipollente, aut subalternata ex subalternante, aut deniq; conuertens ex conuersâ, de quibus supra dictum, vel vt semper aliquis terminus sit in antecedente, qui non est in consequente, qualis collectio est argumentatio.

VI. Deinde obseruetur, sicut ad consequentiam argumentationis requiritur, vt terminus aliquis sit in antecedente, qui non est in consequente; ita porrò vt consequentia & argumentatio illa formalis sit & perfecta, h. e. omni omninò materiæ apta, id præterea efflagitari, vt nullus terminus in consequente sit, quin idem reperiatur in antecedente: quod si autem id non fiat, materialem tantum argumentationem confici, id est, quæ non in omni sed certa tantum materia va-

let. Hoc sic probo: nam si ex.gr. ita colligam: *Animal sentit, E. homo sentit*, argumentatio est, cum in antecedente sit terminus, qui in consequente non est, nec formalis tamen, hoc est, omni materiae apta, cum eadem formam etiam sic colligere possim: *Animal est quadrupes* (nam & hoc verum est) *E. & homo est quadrupes*, quod tamen falsum. Et ratio est: sicut enim cum terminus aliquis assumitur in consequente, qui non erat in antecedente, fit interdum ut ille accommodatus sit termino alteri antecedentis, interdum contra: ita etiam interdum aliquid sequitur, interdum nihil. Hoc autem non est formaliter sed materialiter tantum sequi: quod enim formaliter sequitur non in certa sed omni materia & semper sequitur.

V II. Quibus suppositis respondetur ad quaestionem, cum quatuor argumentationum species sint, Syllogismus, Enthymema, Inductio & Exemplum, solum syllogismus, in debitam figuram & modo constitutum, esse formalem argumentationem, ceteras, quatenus tales, & quamdiu ad syllogismus non revocantur, materiales.

II X. Quod omnes haec consequentiae non sint purae consequentiae tantum, ut aequipollentiae, conuersionis &c. sed argumentationes patet: in cunctis enim terminus est in antecedente, qui non est in consequente. Sic in enthymemate arguitur ita: *Animal sentit, E. homo sentit*, quae reuera argumentatio est & tres terminos habet. In Inductione ita: *Bucephalus est irrationalis, Scianus est irrationalis, hic equus, ille equus. E. omnis equus est irrationalis*. Vbi non tantum vnus sed plures termini sunt in antecedente, qui non inueniuntur in consequente. Idem denique fit in Exemplo, quod sic colligit: *Petrus agens poenitentiam remissionem peccatorum consecutus est, E. & Iohannes consequetur*. Omnes igitur consequentiae, quae in talibus collectionibus reperiuntur, argumentatiuae sunt.

IX. At non sunt argumentationes seu consequentiae formales, ut syllogismus, idque de enthymemate iam iam demonstratum est: de Inductione vero & Exemplo sic probatur. Omnis Inductio vel concipitur ad hunc modum: *Hoc vinum cale-*

calescit, istud calescit, illud calescit. E. omne vinum calescit; & tum ad formalem argumentationem ei hoc deest, quod terminus vniuersalis, vinum, est in consequente, qui non est in antecedente, adeoq; pro eo alius substitui potest & colligi sic: Omnis aqua calescit: nam quod ad terminum, hoc vinum, sequatur terminus, Omne vinum, non propter formam sed materiam est. Vel concipitur isto pacto: Hoc vinum calescit, istud calescit, & vinacætera omnia. E. omne vinum calescit: & tum formalis quidem collectio est, sed consequentia tantum, non argumentatio, quia hoc vinum & istud & cætera omnia calescere idem prorsus est atq; omne vinum calescere. Huc accedit, quod in formali argumentatione certus numerus terminorum sit, in inductione vero ille nunc minuatur, nunc crescat, pro materiæ naturâ & indole. Ita ad conuincendum omnes cælos moveri inductio X. aut XI. singularium sufficit: plures enim cæli non sunt; ad probandum item omne elementum esse corruptibile, quatuor species satis sunt. Vt autem demonstratur, omnia vina calescere, singularia propemodum infinita adferenda sunt. Quod verò aliter concludit in vnâ re, aliter in alterâ, id non est formalis, sed materialis argumentatio.

X. De Exemplo planior adhuc res est; cum enim ibi à similitudine tantum vnus rei procedatur ad alteram, in eo autem ratione formæ nihil certi sit, formaliter h. e. in omni materiâ seu quibuslibet terminis non concludit. Sic rectè quidem ab exemplo colligitur hoc modo: *Equi summum bonum in voluptate positum est, E. & lupi. At non pariter: Brutorum summum bonum in voluptate situm est. E. & hominis.*

XI. Vbi tamen addendum, redigi argumentationes illas ad formales seu syllogismum posse. Ita enthymema fit syllogismus & perfecta argumentatio, quum vna præmissarum quæ deest suppletur, vt: *O. animal sentit, Homo est animal, E. homo sentit: item: O. animal est quadrupes. Homo est animal, E. est quadrupes: etsi enim posterior conclusio falsa est, quia & maior talis, tamen forma argumenti non labat. Inductio autem ita: Hoc cælum mouetur, istud, illud & c. Et hi sunt omnes cæli, E. O. cælum*
mouetur

mouetur. Deniq; exemplum formaliter concludit, si ratio qua-
re duorum aliquorum sit similitudo addatur, vt: *Quod est
brutum alius summum bonum est in voluptate situm. Sed lupus est
brutum plane vt equus. E. & lupi summum bonum situm est in vo-
luptate.* Similiter in bonam formam sed falsam materiam redigi-
tur illud: *O. bruti S. bonum est in voluptate. Homo est brutum E. ho-
minis etiam S. bonum est in voluptate.* Vide Conimbric. in 1. prior.
c. 1. q. 2, a. 3.

XII. Porro fundamenta omnis perfectæ & formalis ar-
gumentationis sunt duæ illæ propositiones naturaliter notæ:
dictum de omni, & dictum de nullo, de quibus iam 3. quæ-
ri potest, an etiam argumentatio quæ eis superstruitur in
omni omnino materia valeat? nam consequentia dicti prio-
ris videtur tantum in terminis creatis procedere non in diui-
nis, cum talis syllogismus non valeat: *O. essentia diuina est Pa-
ter: nulla enim alia est præter eam quæ est Pater Filij. Sed Filius est
essentia diuina: vnaquæq; enim Persona diuina est vna illa es-
sentia. Ergo Filius est Pater:* præmissæ enim veræ sunt & conclusio
falsa, cum nihilominus sit syllogismus i. fig. affirmatiuus, qui
expressam consequentiam dicti de omni habent, vt ex com-
pendiis notum est.

XIII. Ad id vt respondeatur, notandum est ex Scoto 1.
prior. q. 7. conclus. 4. per dictum de omni non intelligi propo-
sitionem tantum vniuersalem, sed id, vt subiectum istius vni-
uersalis dicatur de aliquo alio, de quo concludatur etiam
prædicatum conclusionis. Et similiter dictum etiam de Nullo
intelligendum. Idq; est quod ipse Aristot. ita vtrumq; expli-
cat, vt non asserat, dictum de Omni esse cum aliquid de aliquo
affirmatur ideò, quia idem antè affirmatum est de omni, aut
dictum de Nullo, cum aliquid de aliquo ideò negatur, quia id
ante negatum est de omni, sed vt dicat, ideò aliquid de aliquo
affirmari vel negari, quia idem antea affirmatum vel negatum
est de omni quod est illud. Vnde monet Scotus ita dicta illa
concipienda esse, non: *Omnis homo est animal,* sed: *Omne
quod est homo est animal,* nec: *Nullus homo est lapis,* sed: *N. quod est
homo est lapis:* nam si priori formula exprimantur, valere sanè
confe-

consequentiam in omnibus creatis: at non tamen in diuinis; quod si autem posteriori modo concipiatur in omnibus omnino terminis rectè inferre, sicut idem q. 22. porrò docet. Eo autem diligentius hoc notandum est, quod nonnulli hoc non obseruato negarint dictum de Omni & Nullo in cunctis terminis rectè concludere.

XI V. Quibus explicatis respondetur dupliciter ad syllogismum supra allatum i. Propositionem maiorem non esse vniuersalem sed singularem, vt etiam præced. disp. dictum est, cum vna tantum singularis essentia diuina sit. Vnde signum vniuersale ita simpliciter non rectius ei apponitur, quam si dicas: *Omnis sol lucet, Omnis luna interdum eclipsin patitur &c.* etiam si quis propositionem illam pro vniuersali ideò fortè habeat, quòd essentia diuina, quamuis ipsa in se vna est, pluribus tamen personis verè communis sit, respondetur, Maiorem propos. ex præscripto dicti de Omni non debere sic concipi: *Omnis essentia diuina est Pater, sed: Omne quod est essentia diuina est Pater,* & tum formam syllogismi legitimam esse, sed maiorem falsam: non enim omne quod est essentia diuina est Pater, sed aliquod tantum seu vna solummodo persona. Quin nec vera vniuersalis vlla de essentia diuina formari potest, nisi ad hunc modum. Tantum de 3. quæstione.

XV. 4. Quæritur an nunquam ex puris particularibus rectè aliquid sequatur: possum enim sic argumentari: *Q. homo est Socrates, Q. albus est Socrates, E. Q. album est homo.* Quæ consequentia formalis est & semper rectè infert, quia syllogismus ille non tantum ex Expositorio fit per conuersionem propositionis singularis, sed & semper huiusdem beneficio in Expositorium rursus commutari potest. Expositorius autem est iste: *Socrates est homo, Socrates est albus, E. Q. album est homo,* cuius forma vtiq; optima est. Quid, quod syllogismus idem reduci potest ad i. fig. hoc pacto: *Quidquid est Socrates illud est album. Q. homo est Socrates, E. Q. homo est albus.* Habet hanc objectionem Scotus i. prior. q. 20. qui plura similia notat, sed nullius fere momenti.

XVI. Resp. autem ipse, regulam illam ad hunc & similes

les casus non extendi. Sed cum Arist. 1. pr. c. 4. simpliciter neget ex puris particularibus aliquid sequi, nobis ita potius respondendum videtur, Aristotelem de ijs tantum syllogismis loqui, qui medio communi constant, non de expositoriis, quiq; medium singulare habent: nam in his non tantum ex puris particularibus, sed etiam ex puris affirmantibus in secundâ rectè concluditur, vt docet Fons. lib. 6. c. 23. Causa est, quod cum medium sit singulare, propositio maior siue vniuersalis, siue particularis affirmans fuerit, in vniuersalem affirmantem conuerti potest: medium enim illud prædicatum est. Atq; ita talis syllogismus ad 1. fig. reducitur. Id autè cum prædicatum commune est nõ contingit. Et ratio est quod terminus singularis non potest diuidi. Vnde cui ipse tribuitur, ei totus competit, atq; idcirco illud de ipso toto rursus efferi potest, cum contra prædicatum commune verè possit alicubi tribui, nec tamen statim ex toto ei competere. Nota tamen hîc 1. hæc omnia de ijs tantum singularibus valere, quæ nullâ ratione pluribus communicantur, vt in creatis: nam de essentia diuina, quia illa pluribus personis competit, vtut ipsa singularis in se sit, similis ratio non est. 2. Huiusmodi syllogismos Expositorios & à communibus regulis ita recedentes in solâ secundâ figurâ conficî posse: ibi enim medium est prædicatum in maiore & conuersionem illam parit, cuius beneficio reductio instituitur.

XVII. 5. Queritur an maior propositio in syllogismis 1. fig. semper debeat esse vniuersalis? Sane id ex dicto de Omni & Nullo apertè patet. Sed Scotus & hîc aliquam limitationem habet, cum scilicet minor subsumit cum Pronomine relativo: ita enim, ait, ex particulari maiore legitimè & directè etiam concludi in primâ, vt: *Quoddam album currit, Socrates est illud album. E. Socrates currit.* Videatur ille 1. pr. q. 22. Respondendum autem est, quod ipse Scotus non dissimulat, in Minore fieri additionem ad terminum medium, nec simpliciter eum repeti: cum enim sic repetendus sit: *Socrates est albus, repetitur ita: Socrates est illud album, seu, ille albus.* Quâ additione efficitur, ne particularitas maioris, vt aliàs, consequentiæ noceat:

cum

eum enim ideo maior alioqui particularis esse nequeat, ne minor terminus sub aliâ parte mediij comprehendatur, quàm de quâ prædicatû maioris valet, occurritur ei rei per pronomen illud relatiuum; vnde rectè sequitur conclusio. Interim & id sciendum est idem ferè per idem in eiusmodi syllogismo probari: concluditur enim Socratem currere, non quod album aliquod currat, & Socrates sit aliquod album, sed quod Socrates sit illud ipsum album currens, vnde talis est argumentatio: *Qui est illud album, quod currit, ille currit. Socrates est illud album quod currit. E. Socrates currit.* Aristoteles itaq; eiusmodi argumentationes neglexit tum hac de causâ, tum quod loqueretur de syllogismo, in quo termini repetuntur simpliciter tantum & sine tali adiectione. Verùm hæc omnia de syllogismis directis tantum accipienda sunt: nam indirectos non solum Maiore sed & vtraq; præmissarum particulari, vt & minore negante in 1. fig. rectè concludere ex compendiis notum est.

XIX. Vbi jam 6. de syllogismis infinitis quaritur, quomodo illi concludant: nam directè inferunt, nec minus tamen nunc negantem in 1. fig. nunc conclusionem affirmantem in 2. habent. Quin & id quæri potest, quare Aristot. tam de istis, quam de indirectis, nihil egerit?

XIX. Vt autem ad posterius primò respondeatur, sciendum, Aristotelem, sicut in tota Logica id obseruauit, vt ea tantum exponeret, quæ in scientijs & disciplinis vsu indubitato habent, neglectis aut obiter tantum indicatis cæteris, ita etiam & præcipuè in doctrina syllogismorum explicanda dicam? an rectè primum constituenda, eum se gessisse. Quare quemadmodum ideo quod scientiæ & disciplinæ omnes terminis rectis & finitis principaliter constent, & raro aut nunquam infinitis & obliquis vtantur, nisi cum isti illorum locum occupant, nomen infinitum aut obliquum pro vero & propriè dicto nomine non habet, et si alias ex illis quoq; propositiones vtcunq; confici possunt: sicut item conuersionem propositionum singularium negligit, imò vniuersas propositiones coniunctas prætermittit: ad eundem
V 2 modum

modū nec rationem argumentandi ex terminis singularibus
(sola Expositione excepta) infinitis item & obliquis, sed vni-
uersalibus finitis & rectis persequitur: indirectas autem argu-
mentandi formulas vix obiter attingit, & syllogismos hypo-
theticos prorsū omittit. Et ratio in promptu est: nec enim sci-
entia de non Entibus sed Entibus, nec de rebus singularibus
sed vniuersalibus maximè tractant, & modos concludendi
absolutos non conditionales aut disiunctiuos, planos item
& perspicuos, non intricatos aut obscuros cum primis re-
quirunt, vt & experientia docet, demonstrationes præcipuas
non hypothetico sed categorico, nec indirecto, sed directo,
nec infinito deniq; aut obliquo, sed finito & recto syllogismo
confici. Ita ergo patet quare Arist. non tantum de syllogismo
infinito & indirecto sed etiam de alijs similibus non egerit.

XX. Etsi autem ille id prætermisit, nihilominus tamen
partim antiqui interpretes, partim posteriores Dialectici om-
nia ea adiecerunt. Ita ex veteribus Theophrastus modos
indirectos tum ex *1. prior. c. 7.* tum ex *2. pr. c. 1.* collegit, vt testa-
tur Alex. Aphrod. *1. prior. c. 4.* & Boëthius syllogismos hypo-
theticos categoricis addidit. Posteriores autem etiam æ-
quipollentias atq; oppositiones tam contrarias quàm sub-
contrarias propositionum conjunctarum tradunt, vt ex Fon-
secæ *lib. 3. instit. Log. c. 18. & seqq.* patet, & syllogismos ex termi-
nis quoq; obliquis conficere docent, vt apud Titelm. *lib. 4. c. 27.*
videre licet. Tantum de syllogismis infinitis vix aliquid repe-
rias, nisi obiter à veteribus inspersum, licet de Proposi-
tionibus infinitis ipse Arist. *2. de interpr. c. 1.* egerit.

XXI. Sunt autem hæc in triplici differentia: nam alia
in veritatis inuestigatione vsus & ipsa habent, sed secun-
darium tantum, alia ideò solùm cognoscuntur, vt si inter-
dum incidant, intelligantur, & alia denique vtilitatem nul-
lam habent. Ad 1. classem propositiones & syllogismi hypo-
theticæ pertinent, vt & propositiones ac syllogismi infiniti;
ad 2. syllogismi indirecti & ex parte infiniti quoq; ad 3. ve-
rò æquipollentiæ & oppositiones illæ propositionum con-
iunctarum, item syllogismi ex terminis obliquis: nam illæ in-
trica-

triciatōres sunt, quā v̄t v̄sum in sciētijs habeant, hī verō
facilius ad terminos rectos rediguntur, quā forma eorum
firmis regulis includatur.

XXII. Cāterum v̄t iam de syllogismorum infinitorum
forma dicam, tum quia secundarium & ipsi v̄sum in sciētijs
habent, nempe quum termini infiniti vicem finitorum sub-
eunt, tum ne in errorem quis incidat, quum fortē occur-
runt, sciendum, non omnes eos nec v̄biq; sed duobus præ-
cipuē in locis difficultatem habere, semel, cum medius ter-
minus in primā figurā, & rursus deinde, cum maior termi-
nus in secundā est infinitus. Prioris hæc sunt exempla: *Qui
non est homo non est rationalis, Equus non est homo, E. Equus non est ra-
tionalis.* Itē: *Qui non est doctus est rudis, Petrus non est doctus, E. Petrus
est rudis.* Posterioris exemplum est cum ita colligo in secun-
dā: *Qui nō est doctus est rudis, Petrus non est rudis, E. Petrus est doctus.*
Sed nec tamen de isto in secundā figurā adeō magna difficul-
tas est, quin ex ijs, quæ de cāteris dicenda sunt, expe-
diri possit.

XXIII. At de illis primæ maior difficultas est, cum &
ipsi rectē concludant, & tamen nunc omnes, nunc minorem
propositionem negantem habeant, quorum illud v̄biq; hoc
in primā figurā vitiosum est. Quod rectē concludant facile
probat, cum nullum exemplum dari possit, v̄bi ex vero
antecedente falsum consequens efficiatur. Vnde ipse quoq;
Aristoteles talibus syllogismis utitur *1. post. t. 99. & 2. post. t. 41.*
sicut Arnisæus *ad Crell. lib. 3. part. comm. c. 7.* notat.

XXIV. Inuenio autē tres potissimū hīc sententias. Prima
est Crellii *loc. iam cit. Corn. Martini lib. de an. Log. p. 1. c. 3. & alibi, &*
Arnisæi *l. c.* qui statuunt minorem in talibus syllogismis nul-
latenus negantem, sed affirmantem infinitam esse. Hoc pro-
bant tripliciter: 1. quoties medius terminus seu subiectum
maioris infinitum est, particula negans in Minore, modō il-
la vna tantū sit, necessariō sit pars prædicati, cum idem
medium, quod subiectum in maiore est, prædicatum fiat
in minore. Quod si autem illa ad prædicatum minoris per-
tinet, non propositionem negantem, sed prædicatum tan-

V ;

tum

tum eius infinitum reddit, ut hoc ex doctrinâ propositionum constat. 2. quodcumq; vna præmissarum negat, etiam conclusio negans est, cum, vt notum, hæc semper partem debiliorem in syllogismo sequatur. Atqui cum medium infinitum est in primâ, nec maior propositio negat, conclusio non negans sed affirmans colligitur, etiam si Minor propositio negare videatur. E. hæc reuera non negat. Exemplo sit secundus syllogismus primæ supra allatus. 3. vt medius terminus negetur de Minore, oportet nouam particulam negantem in minore propositione accedere præter illam quæ est pars ipsius medij; alioqui enim non medius sed pars medij de minore negatur. Sic si in Minore propositione negare velis *non homo* de equo, non est dicendum: *Equus non est homo*, aut vna tantum particula negans ponenda, vt in syllogismo infinito fit, sed duæ, quia vna ad ipsum terminum, *non homo*, pertinet. At duæ negationes in minore syllogismi infiniti non ponuntur. E. ea non negat, sed affirmat.

XXV. Dices propositiones istas; *Equus non est homo*, *Petrus non est doctus*, aperte negare, cum expressè particula negans ipsi copulæ præponatur: infinitas autem de istis terminis has tantum esse: *Equus est non homo*; *Petrus est non doctus*; vbi particula negans copulæ postponitur. Sed respondent illi, propositiones istas & similes omninò negantes esse cum absolute spectantur & extra syllogismum positæ sunt, imò etiam in syllogismo, vbi subiectum maioris non infinitum sed finitum est; quotiescunque autem in syllogismo locum minoris occupant, & maior infinito subiecto prædita eas antecedit, tum propositiones illas, ita in syllogismo collocatas, propter respectum ad eiusmodi maiorem infinitas & affirmantes reddi. Quod autem propositio vna propter respectum ad alteram mutare tum alia, tum qualitatem possit, multis demonstrat Cornelius *loc. cit.*

XXVI. Nec obijcere licet, qualitatem propositionum absolutum quid esse, non respectiuum, adeoq; propter respectum mutari non posse: nam respondetur i. quod non tantum alia sed etiam qualitas in propositione eo pacto mutari
possit,

possit, experientiam manifestò testari, quicquid de argu-
mento isto fiat. Sic hæc propositio: *Non homo non est doctus*,
cùm absolutè effertur & sola ponitur, negans est & hunc sen-
sum omnium confessione habet: *Qui non est homo non est doctus*.
Quod si autem eadem opponatur illi propositioni: *Homo non*
est doctus, & tum dicatur: *Non homo non est doctus*, affirmans v-
tiq; est: tum enim prior particula negans non, vt antea, subie-
ctum tantùm infinitat, sed æquè ac posterior ad copulam per-
tinet. 2. respondetur etiam ad ipsum hoc argumentum, af-
firmationem & negationem sanè absolutum quid in sese esse,
sed vt oratio aliqua affirmatiuè aut negatiuè quidquam si-
gnificet, id respectum siue relationem includere: sicut enim
significatio ipsa respectum inuoluit, ita quoque propter re-
spectum fieri potest, vt, quod dudum & in vno loco hoc
significabat, idem post & alio loco positum contrarium non-
nunquam denotet. Et ita hîc fit. Estq; hæc prima sententia.

XXVII. Secundò dici etiam sic potest: syllogismos il-
los rectè concludere, etiam si minor negans sit, quia æquipol-
leat infinitæ affirmanti, & totum hunc syllogismum:
Qui non est doctus est rudis. Petrus non est doctus. E. Petrus est rudis,
ideò sic concludere, quod statim in hunc converti possit:
Qui est non doctus, ille est rudis, Petrus est non doctus, E. Petrus est ru-
dis, qui citra controuersiam rectè concludit.

XXIX. Tertia deniq; sententia est, minorem syllogi-
smorum illorum ideo rectè negare, quod id in syllogismis in-
finitis optimè fieri possit, licet idem in finitis vitiosum sit.
Hæc videtur Scoti esse 1. prior. q. 37: cùm enim ibi disertè quæ-
stionem illam proposuisset, an etiam ex terminis obliquis &
indefinitis syllogismi fiant, ad eum modum quo ex terminis re-
ctis & finitis, duabus conclusionibus rem decidit, primò, v-
numquemq; modum omnium triū figurarum qui concludit
ex terminis finitis concludere etiã ex indefinitis, idq; exemplis
singularū figurarum comprobatur; secundo dicit posse contin-
gere, vt ex pluribus terminis indefinitis, vel vno etiam tali,
certâ ratione & ita aliquid concludatur, sicut aliàs non con-
cluditur ex terminis finitis; idq; ita probat, tum quod in ter-
minis

minis finitis nunquam ex præmissa negativa conclusio affirmativa inferatur, sicut in infinitis, tum quod in terminis infinitis etiã ex puris negantibus rectè concludatur. Sic Scotus. Probatur autem hæc sententia porrò ita: sicut enim in modis indirectis i. fig. rectè concluditur non tantum ex minore negante, sed & maiore particulari, quemadmodum ex Fapesmo & Frisefo constat, nec propterea regulæ speciales i. fig. convelluntur, cum eæ de syllogismis directis tantum loquantur: ita nihil quoq; vetat, quo minus syllogismus aliquis infinitus itidem ex minore negante rectè concludere possit, cum regulæ eadem ad syllogismos finitos propriè & præcipuè spectent.

XXIX. Dices, hoc apertè dicto de Omni & Nullo repugnare: cum enim illud in i. fig. expressè contineatur, & hoc efflagitet, vt in assumptione terminus minor includatur medio, nihil autem alteri includi, nisi affirmando, possit, nunquam assumptionē in vlllo syllogismo i. fig. directo negantem esse posse, siue is finitus sit, siue infinitus: de indirectis autem aliam esse rationem quàm de directis, etiam infinitis, quia in his dictum vtrumq; naturalem constitutionem retinet æquè ac in finitis, in indirectis autem ea immutatur. Respondeo, omnino minorem terminum debere in assumptione includi in medio; at non concedi, omne quod in propositione aliqua alteri includitur id affirmando includi. Equidem in terminis finitis illud aliter fieri non potest: at in infinitis nonnunquam etiam negando vnus terminus alteri includitur. Sic si dicere velis, Petrum includi animali, ita id enunciandum est: *Petrus est animal*: quod si vero Chimæram inter non entia contineri dicere cupias, non tantum id sic affirmatiuè rectè expresseris: *Chimæra est non ens*, sed & negatiuè ad hunc modum: *Chimæra non est ens*; cum non contineri sub entibus idem sit atque non entibus includi & accenseri. Eadem ratio est de alijs terminis infinitis. Non ergo violatur dictum de Omni & Nullo, nec desinit minor medio includi in assumptione primæ figuræ, quoties medius ille est infinitus, etiam si assumptio ista neget, quia tum etiam negando in-

negando includitur. Tot ergo hac de re sunt vel esse possunt
opiniones.

XXX. Nobis prima & vltima maximè placent: nam se-
cunda id præsupponere videtur, hanc concludendi ratio-
nem: *Qui est non doctus est rudis, Petrus est non doctus, E. est rudis*
formalior em esse ista: *Qui non est doctus est rudis, Petrus non est*
doctus, E. est rudis; & posteriorem hanc per æquipollentiam
tantum ad priorem illam sequi; cum tamen experientia te-
stetur, quando ex medio infinito argumentandum in primâ
est, expeditius & promptius posteriorem quàm priorem il-
lam confici. Quod si autem & reliquas duas sententias
inter se comparare libeat, vltimam sententiam etiam
primæ præferimus, id quod; ideò, quod hoc pacto ratio simul red-
di possit, quare in syllogismo infinito secundæ non tantum
concludatur ita: *Omne quod non est animal non est homo. Petrus est*
homo. E. Petrus non est non animal; sed etiam sic: *E. Petrus est animal,*
cum aliàs nec in 2. fig. nec vsquam vnâ præmissarum negatiua
existente, affirmatiuè concludatur: nam etiam hîc dicendum
est, propter terminum infinitum id fieri, & regulas quæ con-
trarium præcipiunt de syllogismis tantum finitis accipien-
das esse, sicut & Conimbric. 1. pr. c. 1. q. 7. a. 2. non obscure in-
nuunt, regulas, quas de syllogismo finito Arist. tradit, ad in-
finitum non esse extendendas.

XXXI. Et tum ad 1. arg. primæ sententiæ ita respon-
deri potest, particulam negantem non fieri partem prædicati
in Minore, nec necesse esse vt integer terminus, qui dudum
erat subiectum maioris, fiat prædicatum minoris, sed sufficere
vt pro prædicato infinito affirmando prædicatum finitum nega-
tum ponatur, quia tum per negationem copulæ defectus par-
ticulæ infinitantis prædicati suppletur, sicut & in syllogis-
mo infinito secundæ, cum sic infertur: *Qui non est doctus est*
rudis. Petrus non est rudis, E. Petrus est doctus, pro majori termi-
no infinito *non doctus*, qui in conclusione negandus erat, po-
nitur terminus finitus affirmatus, & vbi dicendum erat: *Non*
est non doctus, concluditur: *Est doctus*, quia similiter terminus
finitus affirmatus infinito negato æquipollet. Ad 2. arg. resp.

X

de fi-

de finitis esse verum, cum vna præmissarum est negans non
posse conclusionem sequi affirmatam, non autem de infinitis,
sicut expressè ex syllogismis infinitis secunda patet. Ad
3 conceditur, vt medius terminus totus negetur de Minore,
opus esse alia particula negante quam quæ est in ipso medio.
Sed hic non negatur totus medius de minore, sed pars tantum
eius, h. e. idem terminus finitus qui in maiore erat infinitus:
si enim totus h. e. ipse terminus infinitus negaretur, non posset
vtiq; prædicatum illud negatum ei æquipollere.

XXXII. Vnum hic addendum est, omnia quæ de syllogismo
infinito i. fig. dicta sunt, tum valere quum medium infinitum
est: nam cum maior aut minor talis est, ab vtitatis regularis
non receditur. Tantum etiam de 6. questione.

XXXIII. 7. Quæritur, quid de quarta figura syllogismorum
sentiendum sit, quam Galenus tribus cæteris addidit teste
Auerroë 1. pr. c. 8. & 23. & in epit. eiusd. lib. c. 1: nam in operibus
Galenii id hodie non reperitur? Respondeo, communiter eam
ab auctoribus reijci, nisi quod Conimbric. dicant illam à nonnullis
recentioribus defendi. Et primò ipse Aristoteles non nisi tres
agnoscit, eumq; numerum multis confirmat 1. pr. c. 22. & 23.
Hunc sequuntur interpretes *ibidem*, item Thomas opusc. de syllog. c. 4.
Scotus 1. prior. q. 34. Iauell. tract. 6. c. 1. Conimb. c. 7. q. 1. &
Dominicus Bannes l. 5. min. Dialect. c. 4. In primis autem Galenum
oppugnat Auerroës *locis cit.* & Zabarella peculiari libro.
Argumenta alij alia afferunt. Iauellus dicit quartam figuram
æquipollere regulæ primæ antepredicamentali: *Ea quæ dicuntur
de predicato, dicuntur etiam de subiecto*, & ideò otiosam esse.
Bannes eam à primâ nihil differre censet. Sed omnium optimè
Auerroës, Zabarella & Conimbric. dicunt, figuram illam non
esse rationem aliquam naturaliter & directè, sed artificialiter
& obliquè inferendi, & ideò meritò negligi. Quod breuiter
sic ostenditur. Syllogismus affirmatiuus quartæ est, cum
ita colligitur: *O. homo est animal, O. animal est corpus. E. Q. corpus
est homo: negatiuus autem, si ita argumenteris: N. homo est lapis.
O. lapis est corpus. E. Q. corpus non est homo.* Vbi medius
vtrobiq; est prædicatum in ma-

in maiore & subiectum in minore, diuerso prorsus positu ab eo qui in cæteris figuris reperitur. Rectè etiam vterq; modus eatenus concludit, vt nunquam ex veris falsum inferat, & reduci ad 1. fig. potest. Sed experientia docet, collectionem eiusmodi indirectam & obliquam potius, quàm directam & talem esse ad quam natura ipsa inuitet; cum enim auditis illis præmissis: *O. homo est animal, O. animal est corpus*, naturalis cogitatio, vt Auerr. loquitur, expectet, fore vt concludatur: *O. homo est corpus*, præter expectationem conuertens eius infertur: *Q. corpus est homo*. Similiter quum allatis illis præmissis: *Nullus homo est lapis. O. lapis est corpus*, illatum iri arbitramur: *N. homo est corpus*, infertur: *Q. corpus non est homo*, prorsus vt & in indirectis 1. figuræ contingit. Sic in Baralipton his præmissis positis: *O. homo est animal. O. Italus est homo*, naturaliter expectatur illa conclusio modi Barbata: *O. Italus est animal*, sed infertur: *Q. animal est Italus*. Similiter quando in Fapesmo mens naturalem tramitem secuta istis præmissis positis: *O. homo est animal, N. equus est homo*, conclusionem hanc expectat: *N. equus est animal*, cursu obliquato infertur: *Q. animal non est equus*. Quod si ergo syllogismi isti primæ non naturalem & directum ductum concludendi, sed præternaturalem tantum, artificialem atq; indirectum tenent; etiam isti quartæ figuræ tales sunt, quia eatenus ab illis non discrepant. Quare etiam inter indirectas & argutè potius excogitatas ac peculiari arte fabricatas, quàm natura duce constructas consequentias, quales in trium cæterarum figurarum modis directis occurrunt, annumerari debent.

XXXIV. 8. Quæritur, an etiam syllogismus Expositorius verus syllogismus sit? Non esse syllogismum dicit Crellius *lib. 3. part. comm. Log. c. 10.* etsi non rarenter loco syllogismi ipso utamur. Sed dicendū est, omninò esse syllogismum: etsi enim hoc ab alijs syllogismis differt, quod illi ex communibus & vniuersalibus procedant, & rationem aliquam eius quod colligunt assignent, cum Expositio ex singularibus arguat, nec rationem addat: tamen argumentatio est, & formalis quidem. Argumentatio est, quia consequentia eius ex

X 2

tribus

tribus terminis connectitur: formalis autem, quia in omni materia & exemplis etiam abecedarijs valet. Huc accedit, quod per eius formam consequentia syllogismorum tertiæ probetur, quod fieri non possit, nisi & ipse verus syllogismus sit & formam syllogisticam habeat, atq; ex dicto de Omni & Nullo, vt reliqua vis syllogistica omnis, dependeat. Vnde etiam vitiosa Expositio non nisi ex isto & eius quidem legitima formula corrigi potest. Sic cum hoc pacto argumentor: *Hæc essentia diuina est Pater, Hæc essentia diuina est Filius. Ergo Filius est Pater*, deprehendi vitium nequit, nisi ex dicto de omni, quod singulares istas redigere docet ad vniuersales hoc pacto: *O. quod est hæc essentia diuina est Pater, O. quod est hæc essentia est Filius, E. Filius est Pater*; quod cum fit tum demum forma Expositorij bona, sed vtraque præmissa falsa efficitur, sicut Scotus docet *1. prior. q. 20.*

XXXV. 9. Quæritur, quodnam sit verum fundamentum reductionis ostensiuæ tam syllogismorum directorum quam indirectorum? Dico *fundamentum*: nam ipsa ratio reducendi ex compendijs nota est. Addo, *ostensiuæ*, quia fundamentum reductionis ad impossibile per se intelligitur. Resp. fundamentum illud non esse hoc; quod syllogismi 2. aut 3. fig. commutari possint in syllogismos 1. fig. aut indirecti modi in directos: nam etiam malus syllogismus commutari potest in bonum, sed illud: Quidquid sequitur ad consequens alicuius antecedentis, hoc sequitur ad ipsum etiam antecedens, i. e. quod quoties veræ sunt præmissæ syllogismi alicuius reducendi, toties etiam veræ sint præmissæ syllogismi reducti, quia per legitimam conuersionem ad eas consequuntur, quodq; propterea nihil inferre possit reducendus, quin idem illud inferat reductus, quemadmodum hoc Titelman. *lib. 4. consid. Log. c. 17. & Conimbric. 1. prior. c. 6. q. vn. art. 2.* explicant. Idem fundamentum est probationis syllogismorum tertiæ per syllogismum expositorium, nisi quod probatio illa non conuersione propositionum, sed consequentia ab vniuersali vel particulari propositione ad singularem nitatur. Hactenus de syllogismo absoluto.

36. De

XXXVI. De syllogismis modalibus quæritur i. an rectè Aristot. & Logici communiter statuunt, ex puris necessariis concludi necessariam in omni figura: nam cum in tertia sic infertur: *Necesse est O. philosophum esse doctum. Necesse est O. philosophum esse hominem. E. Necesse est Q. hominem esse doctum*, conclusio falsa est & præmissæ veræ. Huc accedit, quod nec reduci talis syllogismus potest ad i. fig. ita ut ambæ præmissæ necessariae maneant: minor enim, si conuertatur, fit contingens, cum non necesse sit, sed contingat hominem esse Philosophum. Hæc obiectio est recentiorum qui supra conuersionem modalium impugnabant. Resp. i. cum Arist. dicit ex puris necessariis necessarium sequi in omni figura, loqui eum de necessario absolute dicto, non de necessario quando. Et ita Minor est falsa: non enim necessum est philosophum esse hominem, absolute, sed quando existit, absolute autem illud contingens tantum est. 2. dico, ambas præmissas habere sensum compositum, conclusionem autem diuisum: nec enim necesse est philosophum esse doctum, nisi ut est philosophus, nec philosophum esse hominem, nisi quando philosophus existit. Non licet autem arguere à sensu vno ad alterum. Vnde & Thom. opusc. de syllog. c. 13. syllogismos ex puris necessariis necessarium concludere statuit in omni figura, sed cum expressa hac additione, ut id de necessitate absoluta intelligatur, non de ea quæ est ex hypothesi tantum vel cum aliquid eatenus solum necessarium est quatenus existit.

XXXVII. 2. Quæritur, an rectè etiam ex maiori necessaria & Minori absoluta in i. fig. inferatur necessaria: nam & contra id obijcitur talis syllogismus: *Necesse est O. geometram esse doctum, Q. homo est geometra, E. Necesse est Q. hominem esse doctum*, qui ex præmissis veris falsum conficit, cum non necesse, sed contingens sit, hominem doctum esse. Resp. i. ex Scoto i. prior. q. 27. in fin. ad 4. etiam hinc Maiorem habere sensum compositum & conclusionem diuisum: nec enim necesse est geometram esse doctum, nisi quatenus iam geometra est: nam alias & ipse indoctus esse potest, ut homines alij. Quare consequentia non valet, quia idem sensus non retinetur.

Xj

Certè



Certè si maior quoque diuisum sensum habeat, vt hic conclusio habet, rectè inferatur, ad hunc modum: *Necesse est O. animal esse corpus Q. homo est animal. E. necesse est Q. hominem esse corpus.* 2. dico, conclusionem non simpliciter esse falsam: et si enim non est necessarium absolute, vt homo quisquam sit doctus, supposito tamen, sicut hic supponitur, aliquem hominum geometram esse, necessum etiam ex hypothesi est, aliquem hominem doctum esse, Quin nec aliter fieri potest, vt rursus Scotus docet q. 28. §. quantum ad 1. concl. 2: nam si maior sic concipiatur, vt dictum de Omni & Nullo requirit: *Necesse est O. qui est geometra esse doctum*, non tantum dicitur O. geometram necessariò doctum esse, sed etiam vnumquemque qui est geometra, seu sub geometris continetur. Rectè ergo Aristot. docet, maiori necessaria & minori absoluta, in 1. fig. sequi necessariam: reuera enim illa sequitur, & necessaria quidem absolute seu sensu diuiso, si talis etiam est maior, necessaria autem ex hypothesi tantum, quum maior sensum compositum habet.

XXXII. 3. Quæritur, an ex puris possibilibus & contingentibus tam in 1. quàm in 3. fig. possibilis vel contingens inferatur, vt docent Aristot. 1. prior. cap. 12. & 17. Thom. in opusc. cap. 14. Scotus quest. 31. & Conimbric. 1. prior. ad cap. 13: nam sic argumentor in 1. fig: *Possibile est O. currens esse hominem. Possibile est O. equum currere. E. Possibile est O. equum esse hominem: Item: Contingit O. hominem moueri. Contingit omne quod currit esse hominem. E. Contingit omne quod currit moueri.* Vtrobique præmissæ rursus veræ sunt & conclusiones tamen falsæ: nec enim possibile est equum esse hominem, nec contingit sed necesse est quod currit moueri, sicut rursus obijci solet.

XXXIX. Ad hæc vt respondeatur, notandum denuò est ex Scoto, duo esse obseruanda, vt syllogismorum talium forma legitima sit. vt non tantum vtraque præmissarum seorsim reuera possibilis sit sed etiam quatenus ambæ copulantur, seu, sicut ipse vocat, vt non solum vtraque in se sit possibilis, sed & vna alteri compossibilis. Cur autem id efflagitetur præclare
expo-


exponit q. 27. conclus. 2. Et causa hæc est: non enim sicut omnis necessaria est conecessaria cuilibet alteri, ita etiam una possibilis est compossibilis alteri. Quare nec sufficit in possibilibus sicut in necessarijs, vt vtraq; præmissarum seorsim vera sit, sed præterea opus est vt & simul iunctæ veræ sint. Quod autem duæ possibilis veræ in se sint, quæ tamen non sunt veræ simul seu compossibiles, hoc exemplo patet: verè enim possibile est Petrum nunc esse calidum, verè etiam possibile, vt idem nunc sit frigidus; at impossibile tamen, vt ille simul nunc & caleat & frigeat. 2. notandum, vt subiectum maioris in 1. & conclusionis in 3. non supponatur tantum pro ijs quæ sunt, sed etiam quæ esse possunt.

X L. Quibus obseruatis rectè ex possibilibus & contingentibus concluditur possibilis & contingens in 1. & 3. In prima quidem, quia forma illa expresse habet ipsum dictum de omni: lic enim infert: *O. quod potest esse A. potest esse B. Sed C. potest esse A. E. C. potest esse B.* inò concludit vt in absolutis. In tertia autem, quia ea per syllogismum expositorium probatur sic: *Hoc B. potest esse A. Hoc B. potest esse C. E. aliquod quod potest esse C. potest esse A.* Nihil est vtroque manifestius. Ad obiectionem autem resp. præmissas syllogismi prioris esse quidem possibles ambas seorsim sumtas, sed non sibi inter se compossibiles: verum enim est, posse O. currens hoc aut illo tempore esse hominem, verum item, posse fieri, vt O. equus eo tempore currat. At possibile non est vt vtrumque simul illo tempore fiat. Deinde maior vera est, quum subiectum eius sumitur pro eo tantum quod actu currit: ita autem illud capiendum non est. Sin verò accipiatur pro eo quod potest currere, falsa fit: non enim possibile est O. quod potest seu solet currere hominem esse. Ad posteriorem syllogismum resp. conclusionem non esse simpliciter sed in sensu composito tantum falsam: etsi enim non contingit aliquid, donec currit, moueri, sed tum necessariò mouetur, nihilominus id quod currit contingenter mouetur in se, quia & non currere ac non moueri poterat. Quod si autem sensu composito accipiatur, falsa ideò est, non quod ex puris con-

ris contingentibus nihil sequatur, sed quod à sensu diuiso,
quem præmissæ habent, arguatur ad compositum. Et hæc
de modalibus: nam de mixtione modalium & de inesse, vt
& modalium inter se, nulla difficultas exoritur,
quin ex regulis hæctenus allatis & ipsa sol-
ui possit.







qu
t en
t pr
cien
ias
lici
m q
opo
qu
nen
emo
ista
gim
doct
ov
ject



48

DISPUTATIONVM LOGICARVM
SEPTIMA,
De
ARGVMENTA-
TIONE SEV SYLLOGI-
SMO, TAM ABSOLVTO
QVAM MODALI,
Quam
DEO OPT. MAX. AV-
XILIANTE,
SVB PRAESIDIO
Reuerendi, Clarissimi, & Excellentissimi Viri,
Dn. CONRADI HOR-
NEII S.S. THEOLOGIAE LICENT.
ejusdemq; Professoris ordin. praëceptoris &
fautoris sui æternum honorandi,
Publico examini subijciet
GEORGIVS LEVERICVS
BRVNSVICENSIS.
X. Kal. Novembr.
In nouo IULEO.
HELMÆSTADI,
E. typographéo LVCIORVM,
Anno clō Is cXXX.

